

[Accueil](#)[Revenir à l'accueil](#)[Collection Mythologiae libri decem, Francfort, André Wechel, 1581](#)[Collection Mythologia, Francfort, 1581 - Livre VIII](#)[Item Mythologia, Francfort, 1581 - VIII, 22 : De Alpheo](#)

## Mythologia, Francfort, 1581 - VIII, 22 : De Alpheo

**Auteur(s) : Conti, Natale**

**Collection Mythologia, Francfort, 1581 - Livre X**

*Ce document a pour résumé :*

[Mythologia, Francfort, 1581 - X \[119\] : De Alpheo](#)

---

**Collection Mythologie, Paris, 1627 - Livre VIII**

[Mythologie, Paris, 1627 - VIII, 23 : D'Alphee](#) est une transformation de ce document

---

**Collection Mythologie, Lyon, 1612 - Livre VIII**

[Mythologie, Lyon, 1612 - VIII, 22 : D'Alphee](#) est une traduction de ce document

---

## Informations sur la notice

Auteurs de la notice [Équipe Mythologia](#)

Mentions légales

- Fiche : [Projet Mythologia](#) (CRIMEL, URCA ; IUF) ; [projet EMAN](#), Thalim (CNRS-ENS-Sorbonne Nouvelle). Licence Creative Commons Attribution - Partage à l'Identique 3.0 (CC BY-SA 3.0 FR)
- Images : [Münchener DigitalisierungsZentrum](#) (MDZ).

## Présentation du document

Publication [Francfort, André Wechel, 1581](#)

Exemplaire [Regensburg \(Allemagne\), Staatliche Bibliothek, 999/Hist.pol.1307](#)

Formatin-8

langue(s)

- Grec ancien
- Latin

Paginationp. 918-922

## Des dieux, des monstres et des humains

Entités mythologiques, historiques et religieuses [Alphée](#)

Notice créée par [Équipe Mythologia](#) Notice créée le 28/12/2018 Dernière modification le 25/11/2024



**D**E Alpheo, quem alij hominem, alij fluvium fuisse crediderunt, cuius fontes essent apud Aleam pagum Arcadię, nihil propè certi habemus vel quis fuerit, vel quibus parentibus sit natus, nisi quòd eum alij Thermodontis & nymphę cuiusdam Amymones, alij Parthenię fuisse filium tradunt, quidam aurigam fuisse Pelopis putarunt, alij cuiusdam ducis insignis, cuius virtus post Leonidam in Thermopylis enituerit, atque hi omnes ferè post mortem in fluvium sui nominis mutatum fuisse memorarunt. Alij præterea fabulantur Alpheum virum fuisse mirificè venationibus deditum, qui aliquando in Arethusę venantis & ipsius amorem inciderit, illam cum Alpheus in matrimonium postulasset, atq; ea constantissimè recusaret eius nuptias, in Ortygiam transmisit non procul à Syraculis, atq; ibi in fontem sui nominis conuersa fuisse dicitur, vbi Dianam, cuius erat comes, precata fuisset vti nuptias illas quoquo pacto desistere posset, vt testatur Ouidius libro quinto suarum Mutationum in his carminibus:

*Fessa labore fuga, Fer spem, deprehendimur, inquam,*

*Armigera Diana tua: cui sape dedisti*

*Ferre tuos arcus, inclusaq; tela pharetra, & paulo post*

*In latices mutar, sed enim cognoscit amatas*

*Aonio aquas, positoque viri quod sumpserat ore,*

*Vertitur in proprias quo se mihi misceat undas.*

Illud cum grauissimè tulisset Alpheus, Arethusam scilicet in fontem sui nominis Dę misericordia & nutu fuisse conuersam, desiderij amorisque eius impatiens dicitur & ipse Deos precatus fuisse, vt tantam animi molestiam aliqua ratione vitare posset; quare in fluvium sui nominis & ipse fuit conuersus, qui post illam mutationem etiam dictus est vel ipsam fontem amare, quippe cum subter mare, vt aiunt, delapsus vel Syraculas vsque decurrat, vbi postmodo emergens cum Arethusa fonte commiscetur, vt patet ex his:

*Trinacriam supra medio iacet insula ponto,*

*Ortygiam dicunt, vbi cana fluent a refundit*

*Alpheum, Sicula hinc Arethusa & iungitur unda.*

Alij dixerunt Alpheum amauisse Dianam, eamque insecutum fuisse ad Ortygiam vsque, vbi cum cessauisset, templum Diane

cogno-



ednomento Alpheæ fuit erectum ad perpetuam deuitati periculi memoriam. Alij tradiderunt Alpheum vnum fuisse ex iis qui genus duceret à Sole, qui cum Cercapho fratre vbi contenderet de virtute, illum interfecit, à pastoribusq; exagitatus se in Nyctimum fluuium desperatione captus præcipitauit, qui ab illo postmodo vocatus est Alpheus, cuius rei testis est Agathocles Milesius in secundo de fluminibus, & Agatho Samius. Fuerunt tamen nonnulli, qui semper fluuium, at non hominem fuisse Alpheum putauerint. atqui Strabo lib. 6. Geographiæ multis verbis contendit aduersus Timæum philosophum ac Pindarum, fieri nõ posse vt aqua Alpei fluminis per quosdam hiatus decurrens impermixta cum Arethusa demiq; commisceatur, quoniam inquit illum os habere palam in mare irrumpeus, neque esse quidquam alueo vicinum quod illum absorbeat. Id autem fortasse videri posset absurdum, nisi illud & ea ex oraculo Apollinis carmina confirmarent, quod post paulo dicetur, & alij fluuij ingentes istud ipsum facere comperirentur. nam fama est Nilum paludem quandam ingredi solitum tanquam è continente, terraq; elapsum per Æthiopiam inferiorem decucuisse in Ægyptum, atque in mare illud, quod ad Phatum est, erupisse. sic enim memorauit Nicanor Samius in libr. Lde fluminibus & ij qui supra Syenen profecti sunt ad Meroen. In Hebræorum sinibus præterea fluuius ille qui Iordanis appellatus fuit, dictus est in Tyberiadem stagnum ingredi solitus, atque inde emergens subire alterum stagnum, quod mare mortuum nuncupatur, ac rursus emergens per quoddam spatium denique in paludem absorptus omnino euanescit. & Pyramus decurrens per Cataoniam habet fontes in media planitie: est autem fossa satis ampla, per quam aqua defluit limpida delata clam sub terra per magnum spatium, ac rursus erumpit in apertum, mox per Taurum montem penetrat ac defluit tanta profunditate & angustia, vt canis ibi possit transilire. inde tantum cœni trahit, vt traditum sit hoc ab oraculo:

Ἰασιται, Ἰασηνῶν ὄτε πύραμος ἀφ' ὑπεδίου  
 ἠϊόνα πρὸς ἕωρ ἰσπλὴν ἰε κούραον ἰαπταί.  
*Tempus erit nimeni cum labens Pyramus tendat  
 Litora producat in Cyprum deinde sacratam.*

Et Orontes defluens è Melopotamia mox sub terram occulta-



tur, tum rursus erumpit apud Apamenen, atque ita profluit in mare Seleuciae, ut ait Chryſippus libro 2. rerum Scythicarum. Narrantur in Mycale monte fontes fuisse in Ionia cuiusdam fluminis, quod erat Alpei perſimile: nam illud in mediū mare præterlapſum rursus erumpere solebat prope portū in Branchidis, cui portui nomen fuit Panormo, ut ait Timagetus in libro secūdo de portibus. Melas fluvius item magnus quidem, ac solus ē cunctis Græciæ fluminibus à fonte nauigiorum patiens, & tanquam Nilus incrementum per solstitium æstiuum accipiens, non longè excurrentis maxima ex parte in occultos lacus extinguitur, & exiguam sui partem cum Cephiso amne commiscet, ut ait Plutarchus in vita Syllæ. Cū tanta varietas cursuum fluiorum memoretur in variis locis, quid mirum est illud quoque Alpeo flumini contingere potuisse, cū multi scriptores illud etiam affirmarint? atqui Alpei fluminis hic fuisse ortus & cursus narratur ab antiquis. dictus est Alpheus fluvius nō procul à Phylace Spartæ loco suos habere ortus, vbi caput est eius fluminis, qui locus Symbola fuit appellatus, qui agrum Tegeatarum à finibus Lacedæmonum determinat. Sunt autem dicta Symbola, quoniam *σὺμβόλη* & *κρήνη* congregati conferreque significat, quod in eundē ferè locum fluvius Ladon ex agro Clitoriorum, & Erymanthus è monte Erymantho defluens, & Helisson decurrens per agrum & per urbem Megalopolin, & Brentheates per agrum defluens Megalopolitanorum, & Gortynius Gortynam urbem alluens, & Phagus ex agro Melænenſi & Celadon in ipsum Alpeum illaberentur. dictus est nasci è pago Aſeo, vbi & Eurota. Fuit autem semper credita peculiaris quedam Alpei cursus natura, ut is modò sub terram sese occultaret, modò ex occultis cauernis, ut dicebamus, in lucem erumperet, idque faceret sapius, donec cum Arethuse aqua commisceretur, quæ res dedit locum fabulæ, quod Alpheus vel fluvius factus incredibili Arethuse desiderio conflaret. nam, ut fama est, cū primū è Phylace Symbolisque emanauit sese in agrum Tegeatarum abscondit, postea in Aſeum erumpens cū aqua Eurotæ communi alueo per spatium viginti stadiorum deferabatur. Tum rursus in cuniculum quendam ingressi delabebantur sub terram, donec erumperet Eurotas in agrum Laonicum: at Alpheus in fines Megalopolitanorum, vbi Arcades fontes fuerant appellati. Inde vero

Pisæum



Pisum agrum Olympiamque præterlabens pronumpebat in nauale Eleorum supra Cyllenen, mareque intrabat Adriaticum. Illud autem tantis aquarum viribus agebatur, ut neque Adriaticum quidem posset violentum eius cursum retardare, quod minus pelagus internatans & sua aqua, & proprio nomine seruato ad Ortygiam insulam perueniret, fontique Arethuse admisceretur, ut scripsit Nicanor in libro tertio de fluminibus. Tradiderunt præterea ipsam Arethusam hunc ipsum habere cursum solitam, ut sub aquis marinis lapsa nullis salis aquis admisceretur, ad cuius naturam alludens Virg. ait in Gallo:

*Sic tibi cum fluctus subterlabere Sicanos,*

*Doris amaras suam non intermiscet undam.*

Mirificè dicta est esse accommodata aqua Alpei fluminis ad educandos oleastros, neque illud sanè non incredibile est, quoniam varia fuit semper fluuiorum diuersorum natura ad varia herbarum, animalium, arborumque genera producenda & educanda. Enimuero ut piscium varietatem mirabilitatemque auum circa illos versantium prætermittam, Alpei propria planta fuit oleaster, sicuti fluuij Acherontis peculiaris arbor populus alba esse dicebatur, ut Asopus in agro Bœototum iucum educabat insignis magnitudinis, ut Mæander dictus est felicissimè producere & alere myricas, utque Gallie cisalpinæ Padi alumna dicta est egregiè nigra populus. Credita est aqua fluuij Alpei fuisse sacrificijs accommodatissima, quoniam Alpheus aranis esset gratissimus Ioui. Nam cum die decimonono Februarij cinerem è Prytæneo quotannis aruspices deportarent ad aram Iouis Olympij, illoque cinere aqua Alpei fluminis diluto aram Iouis oblitent de more, fuit postea sancitum legibus sacrificiorum ne qua aqua præterquam Alpei fluminis ad eum usum introduceretur, ut scripsit Porphyrius in libro 1: de sacrificijs, quare ex eo tantum luto diutius seruatum fuit ut tectorium aræ superinduceretur. Iure optimo deinde introductus fuit Alpheus in illum sacrorum usum, quoniam vim quandam præcipuam purgandæ ille fluuius creditus est habere, unde etiam nomen obtinuit. nam eum eius aque irrigatio maculas purget, quas Alphos nominarunt, ut ait Strabo libro octauo, atque vocatus est Alpheus à sanandis impetiginibus, cum prius Ariger vocaretur. Hunc fluuium nonnulli pro Deo colunt, cui & statuam & communem aram cum Diana crexerunt,



runt, quod etiam Acheloo & Cephiso fluminibus contigit, quibus aræ fuerunt erectæ, sicuti memorizæ proditum est à Pauli in rebus Articis. Consecuta fuit etiam ipsa Arethusa postmodum diuinos honores, ut ait Nicanor Samius in libro tertio de fluminibus: siquidem mos fuit Ægiensium, qui populi fuerunt Achaia, liba sumpta ex ara Salutis in mare porricere, quæ se mittere Arethuse Syracusas testarentur, ut ait Melanthes in libro de sacrificijs. ¶ Hæc illa sunt fetè omnia quæ de Alpheo fluuio memoratu digna tradita sunt ab antiquis scriptoribus, atqui sæpius explicatum fuit à nobis superius, quod antiqui sub fabularum integumentis naturæ arcana occultarunt, quodque per has ambages verborum naturam & vires elementorum ac rerum omnium explicabant, quæ illis tantum erant manifesta, qui facti essent horum mysteriorum participes. Præterea ut res diuinas se semper habere ante oculos vulgus arbitraretur, montes & flumina & fontes & maria partim magnos Deos esse tradiderunt, partim quandam continere intra se occultam diuinitatem, quæ posset humanorum factorum esse testis. Et quoniam non animi solum, sed etiam corporis mundities Deo gratissima existimanda est, idcirco aquam illam, quæ præcipuam vim haberet purgandi, & sacrificijs esse accommodatam sanxerunt, & fluuium ipsum, qui huiusmodi aquam hominibus in usus illos suppeditaret, existimauerunt esse Ioui amicissimum atque acceptissimum. Alij diuinam vim animorum nostrorum, virtutisque naturam per huiusmodi fabulam explicarunt, quippe quod sicuti materia appetit formam, ut suam propriam bonum, quod ipsa per se inutilis est & ociosa apparet, sic anima nostra virtutem tanquam formam suam expetit. Hæc causa est cur Alpheus fingebatur sequi Arethusam, cum à *Ἄλφεις* sit macula, ut dictum est, siue imperfectio, & ἀρετή virtus à Græcis nominetur. ac de Alpheo satis, nunc de Inacho dicamus.

*De Inacho.*

## CAP. XXII.

**I**NACHVS autem filius fuisse dicitur Eurydamantis & Dorycles nymphæ, cum tamen quidam Iphinoen eius matrem nominatam fuisse maluerint. Alij Oëneum patrem Inachi fuisse putarunt, quare fuit Oënides ab Hesiodo in sacro sermone ita appellatus:

†††††